

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema CII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

apparitura, demus operam, ne inquinemus illa peccatis, aut vt mox iterum mudentur, Esa. i. v. 18. Munda autem sanguis Christi, i. Joan. i. v. 7.

F I N I S.

THEMA CIL.

Daniel. 12.

Muli qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt: alii ad vitam æternam, alii ad ignominiam æternam.

DISPOSITIO.

Hæc sunt verba non hominis, non Prophetæ, sed Angeli de cælo, qui missus fuit à Deo ad Danielem Prophetam, in forma hominis indulti linteis, cuius facies similis aspectui fulguris, oculi sicut lampades ignis, & c. Dan. 10. vers. 6. Quia igitur alias libentius audiremus (sic enim curiosum temper est ingenium humanum (aliquem ex mortuis venientem, sicut illi Luc. 16. v. 30. aut Angelum de cælo mirabilia narrantem, quam verba Prophetarum aut Apostolorum, quæ nobis sordent interdum, tanquam obsoleta & nimium vulgaria? ideoque hic attendamus verbis huius magnifici, & mirabilis concionatoris. Is vero nobis de cælo adfert explicationem duorum articulorum symboli, videlicet Vndecimi, qui est de resurrectione carnis: & Septimi, qui de iudicio extremo sonat. Primum itaque Angelum Domini audiamus, de resurrectione mortuorum differentem. Deinde de separatione hominum resurgentium futura, (*Wunder absonderung oder Abtheilung/die da sollen surgehen.*) quæ ad iudicium extremum pertinet.

I. Pars.

Eleganter autem angelus de mortuorum resurrectione loquitur, vt ostendat, quale de defunctis iudicium sit in cælo.

I. Qui dormiunt, inquit, in terra. Mortuos dormien-

X tes

tes vocat, quia possunt à Deo facile excitari tanquam a somno.

2. Ideoque altero etiam verbo, *Euigilabunt*, utitur, Quando scilicet vocabuntur à filio Dei, mox aderunt.

3. At quare non dicit, omnes qui dormiunt euigilabunt, sed ait, *multi*? Videtur innuere quod aliqui non sint resurrexerunt.

Resp. I. Vocabulum [*multi*] in scriptura non raro pro omnibus sumitur.

Rom. 5. v. 9. Per vnus inobedientiam iniusti siue peccatores *multi*. Hic vocabulum [*multi*] omnes denotat: quia Rom. 3. additur, *omnes* declinauerunt, Non iustus vnus quidem. Ex Psal. 14. v. 4.

Esa. 53. vers. 12. Multorum iniquitates portauit. At omnium iniquitates portat. Quia *omnium* in ipsum profectus (ibid. v. 6.) iniquitates.

Quia igitur *omnes* sunt *multi*, dixit de multis.

2. Deinde, non de omnibus mortuis voluit dicere, quia aliqui iam resurrexerunt cum Christo, & antea, vt Moses. & c. Præterea non omnes morientur, sed multi immutabuntur, I. Cor. 15. v. 51.

Locvs. I. Testimonium luculentissimum habemus de mortuorum resurrectione: & videntur ex hoc loco verba Job. 5. v. 28. desumpta.

Siue igitur Porphyrius ille (de quo Hieronymus) siue Sadducæi, siue Corinthii Act. 23. v. 8. I. Cor. 15. v. 12. siue etiam ratio nostra rideat mortuorum resurrectionem, nobis tamen de illa nequaquam est dubitandum.

Et id ipsum similitudo dormientium & euigilantium comprobatur. Sicut enim hic, ita & Luc. 8. v. 52. I. Thel. 4. v. 13. 14. Joh. 11. v. 11. & alibi dicuntur mortui dormire. Sic etiam euigilare, Esa. 26. v. 19. Psal. 3. v. 6. & 17. v. 15.

II. Et hæc quidem simul eo seruire debent, vt non ininiti moriamur. Cum nemo sic horreat somnum, sed illum exerat lassus & defessus præsertim, Iob. 7. vers. 2. Quis igitur non cupiat cum Paulo, Phil. 1. vers. 23. sese

com.

componere ad quietem optatam: de qua Esa. 56. in fine, Apo. 14. v. 13. Syr. 38. v. 24. Perfertim cum sciat se euigilaturum. Hoc solatio Hiobus seipsum recreat, Job. 19. v. 25. & non tantum, qui in terram sunt reconditi, euigilabunt, sed & mare dabit mortuos, Apoc. 20. v. 13. & mors omnes reddet, quos peremit. Et his verbis sese consolari debere Thessalonicenses Paulus iubet, 1. Theff. 4. v. 18.

I I. Pars.

Omnes resurrecturos constat. At resurgentes non ad eundem locum properabunt. Iudicio quidem omnes sistentur, sed separatio fiet. Sistentur ad dextram & sinistram, Matth. 25. Itaque Daniel duas classes facit resurgentium.

Alii resurgent ad vitam æternam. Sistentur hi ad dextram Christi. Quia oues. Et audient, Venite, Matt. 25. v. 34.

Alii resurgent ad ignominiam æternam. Hi ad sinistram sistentur. Quia hirci. Et audient, Abite. His satis foret, non surrexisse: imo non fuisse natos, Marc. 14. v. 21.

Loc vs. De hac separatione sæpius & serio cogitandum. Quia serios res agitur, & salus nostra æterna ab hac meditatione dependet.

1. Qui autem ad vitam vel ad ignominiam sint resurrecturi, Christus Johan. 5. v. 29. & Paulus 2. Cor. 5. v. 10. docent. Exstat id etiam Rom. 2. v. 7. & seqq. 2. Theff. 1. v. 8.

Magnus inter ipsos hiatus erit, Luc. 16. Nec mutabitur post conditio, vel beatorum vel damnatorum. Iraque in tempore & dum in hac vita sumus, hoc agendum, ut resurgamus cum gaudio.

Wer dort wol ligen will, muß hie wol betthen. Facilis quidem descensus Aerni. Sed reuocare gradum, superaque euadere ad auras: Hoc opus hic labor est.

Quid ergo faciendum, ut ad gloriam resurgamus?

Audi. Glorificantes me glorificabo, inquit Dominus, x. Sam. 2. v. 30. Ergo gloriæ Domini inseruiamus dum hic sumus. Et glorificabit nos suo tempore.

NOTA. Glorificatur autem I. fide. Sic enim de Abra-

hamo dicitur Rom. 4. v. 20 dabit gloriam Deo. Quomodo? Firmus in fide erat. Ideoque qui crediderit saluus erit, dicitur Marc. 16. Et qui credit non iudicabitur. Non venit in iudicium scilicet ut iudicetur, sed ut absolvatur, &c. Vidé plura, Joh. 3. & 5. & 6 & 11. Nam qui credit, dat Deo gloriam iustificationis, redemptionis, omnipotentie, &c. Joh. 11. v. 40 Si credideris, videbis gloriam Dei.

Et 2. bonis operibus: de quo Matth. 5. v. 15. ut glorificent Deum.

3. Glorificatur etiam laudibus, &c. sacrificiis Eucharisticis, & fructibus laborum, Heb. 13. v. 15.

Contra de honestatur incredulitate. Ideoque incredulum cæteris peccatoribus foras missi sunt, Apoc. 21. v. 8. Et incredulitas maius est peccatum quam cætera omnia. Quia hæc remittuntur credentibus. Illi igitur mittentur in lacum, Apoc. 20. & confundentur, Esa 66.

Ne autem ignominia afficiamur ubi resurrexerimus & euigilauerimus, opera danda, ut in fide eamus dormitum, id est, moriamur. Quia sicut arbor ceciderit, Eccl. 11. v. 3. Semper ergo memorare nouissima, Syr. 7. v. ult.

F I N I S.

THEMA CIII.

Osè. 13. v. 14.

Ego de manu inferni redimam, & de morte liberabo eos. Ero mors tua, ô mors, &c.

DISPOSITIO.

In cantico funebri canimus: Media vita in morte sumus: & media in morte inferni angustia nos tenet sollicitos. Hi enim duo hostes homini maxime sunt inter omnes formidabiles, mors & infernus: hoc est, mors prima & secunda, Apocal. 21. Quod si ab his tuti esse possemus, salui utique essemus, & omnibus malis exempti. Hæc autem hoc loco vox auditur, quæ promittit liberationem